UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
WUPPERTAL

BERGISCHE
UNIVERSITÄT
WUPPERTAL

# Universitätsbibliothek Wuppertal

## C. Valerii Flacci Setini Balbi Argonauticon Libri IIX

**Valerius Flaccus Setinus Balbus, Gaius**

**Lipsiæ, Anno M.DC.XXX**

In libr. IV. [notæ]

**Nutzungsrichtlinien** Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.
Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

urn:nbn:de:hbz:468-1-1194

Visual Library

# LAMP. ALARDI IN VALERII FLACCI ARGONAUTICON

## LIBR. IV.

VERS, 3. JUNONEM ARDENTI) Gravis eſt & vehemens ira fœminarum, Paſſim hoc de Junone alii. Virg. lib. I. Æn.

*Cum Juno æternum ſervans ſub pectore vulnus*
*Hæc ſecum: mene incæpto deſiſtere victam?*

Et paulo poſt:

*Aſt ego quæ Divum incedo Regina, Jovisque*
*Et ſoror & conjux unâ cum gente tot annos*
*Bella gero; & quisquam numẽ Iunonis adoret?*
*Præterea aut ſupplex aris imponat honorem?*
*Talia flammato ſecum Dea corde volutans.*

Hinc illud de Junone in Epigramm. Palladæ lib. I. Floril.

Οὐδ' ὁ Ζεὺς ἀμέρεμνος ἔχει χρυσόθρονον Ἥρην·
  Πολλάκι γοῦν αὐτὴν ῥίψεν ἀπ' ἀθανάτων.
Ἤθελε, καὶ νεφέλῃσι μετήορον, εἶδεν Ὅμηρος·
  Καὶ διὰ συγγράψαι τῇ γαμετῇ χόλιον.

Hinc Apollonius lib. 1, v. 616. de mulieribus Lemniacis.

Ὦ μέλεαι ζήλοιό τ' ἐπισμυγερῶς ἀκόρητοι
Οὐκ οἶον· σὺν τῇσιν ἑοὺς ἔρραισεν ἀκοίτας
Ἀμφ' εὐνῇ, πᾶν δ' ἄρσεν ὁμοῦ γένος.

Notandum tamen Junonem antea Herculi maxime infeſtam, poſtea generum adſciviſſe, Ovidius lib. III. Eleg. V.

Neve

*Neve hominum referam flexas ad mitius iras,*
*Iunonis gener eſt qui prius hoſtis erat.*

v. 6. At Comite, Inmemores Minyæ Facilesque, Relicto) Hæc ita ſunt diſtinguenda: At comite, inmemores M, f, r. Nulla enim Syntaxis (Comite inmemores) admittit vel apud Latinos vel Græcos. Carrio fruſtra hîc ſe torquet ſcribendumne In memores vel Immemores. Parum enim momenti importat.

v. 35. In Duris Haut Unquam Deficies Coelo Mox Aderis) Herculis duodecim labores intelligit, ab illo exantlandos, quibus peractis in Deorum numerum adſciſcendum prænunciat. Ovid. Metam. lib. XV.

*O cuius cœlum bis ſex fecere labores*
*Fer precor inquit opem.*

Lego cum Doctiſſimo Juvene Chriſt. Bulæo pro fecére, vicére. Hor. lib. III. Od. III.

*Hac arte Pollux & vagus Hercules*
*Innixus arces attigit igneas.*
*Quos inter Auguſtus recumbens*
*Purpureo bibit ore nectar.*

De duris Herculis laboribus adi *Prudent.* hymno 14. *Hygin.* fab. XXX. *Apollodor.* lib. II. *Q. Calabr.* lib. VI. v. 212. *Senec. Herc. Fur.* v. 45. & 241. & 529. *Medeâ* v. 701. *Agamemn.* 835. *Herc. Oet.* 19. 1194. *Natal. Comit.* lib. VII. c. 1. *Boeth.* IV. Met. c. VII. *& alios.*

v. 41. Corpus Hebet Somno) Uſitatiſſimum S. literis, item profanis autoribus mortis atrociam benigniore verbo appellare Somni. Deut. XXI. v. 16. *Et Deus ait ad Moſen ecce dormies cum patribus tuis.* Et Salvator noſter Matth. IX. v. 24. οὐχ' ὁ κοράσιον ἀπέθανε ἀλλὰ καθεύδει. Confer II. Reg. 7. 12. III. Regum. 2. 10. 11.

10. 11. 21. 43. 14. 20. Sap. III. 1 2. 3 4. Joh. XI. 12. Act. VII. 6. 12. 36. I. Cor. XI. 29. I. Theſſ. IV. 14. Orpheus Argonaut.:

Εὕδεις Ἀγνιάδη γλυκερῷ βεβολημένος ὕπνῳ.

Et mox:

Ὕπνῳ ὑπὸ γλυκερῷ θανάτου μάρπτουσι τελευτήν.

Nonnus in paraphraſi:

Ὕπνον ἀναγκαῖον καὶ ἀμειψέα Λάζαρος εὕδει.

Callimachus Epigrammate XIV.

Τῇδε Σάων ὁ Δίκωνος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται.

Noſter v. 16.

*Quem penes alta quies, liquidique potentia ſomni.*

Inde etiam mortis fratrem ſomnum appellarunt, quia mortui dormientibus ſimiles. Athenagoras παρ' ἣν αἰτίαν οἶμαι τινες ἀδελφὸν τοῦ θανάτου τὸν ὕπνον ὀνομάζουσιν, οὐχ ὡς ἐκ τῶν αὐτῶν πατέρων φύντας, ἀλλὰ ὡς τῶν ὁμοίων παθῶν τοῖς τε θανοῦσι καὶ ὑπνοῦσιν ἐγγινομένων. Faciebant autem veteres tres mortis gradus, *Fatum*, *Caſum*, *Genituram*, Epicurei *fato*, Stoici *caſu*, Pythagorici *Genitura* hominem mori dicebant. Ariſtoteles duo mortis genera ponit, *Naturalem & Violentam* περὶ ἀναπνοῆς. Violentam Plin. lib. I. Ep. XII. non ex naturâ vocat. Apulejus Miles. 1. tumultuarium genus mortis. Qui vero tali mortis genere ſubito ceciderant cum iis haſtæ efferri ſolebant. Harpocration. ἐπενέγκειν δόρυ ἐπὶ τῆς ἐκφορᾶς, καὶ προσαγορεύειν ἐπὶ τῷ μνήματι. Hinc Virgilii locus capiendus Æn XI. in funere Pallantis:

*---- ---- guttisq; humectãt grandibus ora*
*Haſtam alij, galeamq; ferunt.*

Haſtas etiam vertebant. Unde idem:

*---- ---- & verſis Arcades armis.*

Qui

Qui vero ſibi ipſis manum intulerant ſepeliebantur, ſiquidem igne cremari prohibebantur. Vide Philoſtratum in Ἡρωικοῖς. Sed ille mos haſtarum etiamnum hodiè apud milites in uſu, qui eo ordine ſibi invicem parentant cum vel ſclopeti vel ferri ictu trajiciuntur.

v. 42. TUM LACRUMIS TUM VOCE SEQUI) Fleviſſe Herculem mirum eſt, cui forte dolor ablati juvenis major fuit omnibus ceteris laboribus. Viro aliàs adſignare fletum & quidem Forti, inuſitatum. De mulieribus autem ſæpiſſime legas. Papin. Sylv. V.

*---- ---- gravibusq; oculis uxorius inſtat*
*Imber: habentne pios etiamnum hæc lumina fletus?*
*Mira fides, citius genetrix Sipyleïa fertur*
*Exhauſiſſe genas &c.*

Cæterum quomodo Heroëm Valerius ita introducere potuit, de quo antea verſu præcedente dixit?

*Languentisq; movet fruſtra conanima dextra*
*Corpus hebet ſomno ---- ---- ----*

An tam ſubito torpor ille mortiferi ſomni, membra relinquere potuit?

v. 57. TACITUMQUE PUDET POTUISSE RELINQUI) Expertus eſt illud Satyrici:

*Occupat extremū ſcabies mihi turpe relinqui.*

v. 59. ILIACI REPETENS PROMISSA TYRANNI) Reges olim Tyranni vocabantur. Hor. lib. II. Carm. Od. XIII.

*Vtrumq; ſacro digna ſilentio*
*Mirantur umbræ dicere: ſed magis*
*Pugnas & exactos Tyrannos*
*Denſum humeris bibit aure vulgus.*

Item lib.III.Od.17.

*Autore ab illo ducis originem*
*Qui Formiarum mœnia dicitur.*
*Princeps & innantem Maritæ*
*Litteribus tenuiſſe Lyrin*
*Latè Tyrannus.*

Confer Noſtrum aliquam multis locis; cumprimis lib. V.v.258. Poſteà Tyranni vocati ſunt illi, qui crudelitatem in ſubditos exercebant. Quod videre eſt ex ipſius Auguſti reſponſione. Nam quidam tranſeunti cum diceret *Tyranne!* ipſe converſus reſpondit. Atqui ſi eſſem, tu non diceres.

v.66. SAT TIBI FURTUM IGNIS) Ignem Prometheus Jovi furatus & ad mortales deferens, item prodens hominibus Deorum conſilia, & in carnium diſtributione oſſa Jovi, ſibi pinguedinem præponens; in antro quod in Caucaſi radicibus eſt, vinclis alligatus, ibiq; à vulture vel ut alii volunt ab Aquilâ cruciatus eſt. Hor.lib.I. Carm.Od 3.

*Audax Japeti genus*
*Ignem fraude malâ gentibus intulit*
*Poſt ignem ætheriâ domo*
*Subductum macies & nova febrium*
*Terris incubuit cohors.*

Philoſtratus lib.II.de vitâ Apollonii: *Feruntur de Caucaſo monte à Barbaris fabulæ, quas etiam Græci de eo fabulantur. Prometheum ſcil. ob amorem, quo nimium homines eſt complexus, in eo monte ligatum fuiſſe. Herculem vero id perferre non potuiſſe, & ſagittis Aquilam, quam Prometheus viſceribus alebat, confeciſſe: dicunt inſuper ligatum fuiſſe antro Caucaſi, ubi duris petris vincula adfixa conſpiciuntur.* Alii ajunt in ſummo cacumine ligatum, & cum Caucaſus ſit biceps ſingulis monticulis

his ſingulas manus alligatas prædicant. Simile de Titii jecore referunt fabulæ: Horat. III. Carm. Od. 4.

*In continentis nec Tytij jecur*
*Relinquit ales, Nequitiæ additus Cuſtos.*

Cauſam addunt quod Latonæ ſtuprum inferre conatus ſit.

v. 77. VELOCEM ROSEIS DEMITTIT NUBIBUS IRIM) Egregia deſcriptio Iridis eſt, qualem & apud Virg. habes. Æn. V.

*Ergo Iris croceis per cœlum roſcida pennis*
*Mille trahens varios adverſo Sole colores.*

Melior vel certè non deterior apud Stat. Papin. illa eſt.

*Ecce cadit liquidas Junonia virgo per auras,*
*Et picturato pluvium ligat aera gyro.*

Hinc Iris ἄγγελος θεῶν vocatur. Plato in Cratylo Euſtath. in Homer. Il. 3. Τὴν ἶριν ὁ μὲν μῦθος δαίμονα χρυσόπτερον βούλεται εἶναι, εἴρουσαν, ὅ ἐστιν ἀγγέλλουσαν τὰ τῶν θεῶν: Lucian. περὶ θυσιῶν. ἡ ἶρις καὶ ὁ ἑρμῆς ὄντες ὑπηρέται, καὶ ἀγγελιαφόροι τοῦ Διός. Ammianus lib. XX. Ideo apud Poëtas legimus ſæpe Irim de cœlo mitti, cum præſentium rerum ſit ſtatus mutatio. Vide ad illum locum Clariſſ. Lindenbrogium, amicum noſtrum.

v. 93. ET BISSENO SIDERE TEXTAM LORICAM INDUITUR) Egregia auroræ deſcriptio, cujus parem vix alibi reperias, Quæq; vel ſola ſiniſtrum Ariſtarchi Valeriani judicium labefactet. Confer totum Virgilium, quem ille ſolum agnoſcit, qui ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ impleat. Vide etiam illam Stat: Papin.

*Et jam Mygdoniis elata cubilibus alto*
*Expulerat cœlo gelidas Aurora tenebras.*

*Rorantes excuſſa comas, multumq; ſequenti*
*Sole rubens; illi roſeus per nubila ſeras*
*Advertit flammas, alienumq; æthera tardo*
*Lucifer exit equo, donec pater igneus orbem*
*Impleat, atq; ipſi radios vetet eſſe ſorori.*

Biſſeno autem egregiè dicit, quia duodecim ſignis via ſolis (quem Zodiacum appellant) diſtribuitur. Confer illam inſuper Lucani lib. IV. deſcriptionem occaſus.

*---- ---- Nam Sol Ledæa tenebat*
*Sidera, vicino cum lux altiſſima cancro eſt.*
*Nox tum Theſſalicas urgebat parva ſagittas.*

Ubi indicat tempus auroræ vicinum, ſole exiſtente prope finem Geminorum, unde paulo ante ortum Solis neceſſe eſt Sagittarium, qui Geminis opponitur, occidere impropriè, Chronicè. Sed fortaſſe Lucanus eo loco nullum genus occaſus intellexit. Eſt autem ſecundum Aſtron. hic occaſus Chronicus Poëticus. Cæterum quod nos de duodecim ſignis interpretamur ſuperius: alii de duodecim Solis radiis accipiunt. De quibus Capella lib II. Hymno Solis:

*-- - ---- ---- radiisque ſacratum*
*Biſſenis perhibent caput aurea lumina ferre,*
*Quod totidem menſes, totidem quod conficis annos.*

Lego quoq; cum Clar. Barthio v. ſup. 92. ita:

*---- Sol auricomus cingentibus auris :*

pro- *auricomis ingentibus horis*. *Auricomus* enim Solis non Horarum ἐπίθετον eſt.

v. 99. PROXIMA BEBRYCII) *Getas Græci Thraces opinati ſunt* (ait Strabo lib. VII.) *qui quidem utrumq; Iſtri latus incolebant ut & Myſi. Thraces ſanè utriq;*

*Et quos nunc Myſos nuncupant, A quibus Myſi queq; educti ſunt illi qui inter Lydos Phrygas & Troas habitant. Et ipſi etiam Phryges Thracium genus ſunt Bryges dicti ſicut & Mygdones & Bebryces, & Medobithyni & Thyni. Reor etiam ipſos Mariandynos.* Hinc Noſter paulo poſt v. 264.

*Heſionam & Phrygiæ peteret cũ gaudia nuptæ*

Et v. 171.

*Et Mariandynûm patrias penetravit ad urbes.*

v. 102. Non Fœdera Legum Ulla Colunt) Barbariem ipſe Rex de ſe ſuaq; gente fatetur ſeq. v. 218.

*Nec lacrimæ nec forte preces ſuperive vocati*
*Pectora noſtra movent: alijs rex Jupiter oris.*

Idem Apollonius habet: v. 5. lib. II.

Ὅστ' ἐπὶ καὶ ξείνοισιν ἀεικέα θεσμὸν ἔθηκε.

Et v. 23.

——— ——— θεσμοῖς γὰρ ὑπείξομεν, ὡς ἀγορεύεις.

v. 106. Tibi Pabula Dira Et Miseras Polypheme Dapes) Sic ipſe Polyphemus apud Euripidem, Cyclope: *Pecudes meas ventri meo macto qui Deorum eſt maximus:* ubi etiam Ulyſſem cum ſociis ſe devoraturum oſtendit, quod & nonnullis factum.

v. 111. Sin Forma Viris Præstantior Assit) Apoll. lib. II. v. 15.

Τῷ καί μοι τὸν ἄριστον ἀποκρινδὸν οἷον ὁμίλου
Πυγμαχίῃ στήσασθε κατ' αὐτόθι δηρινθῆναι.

Confer noſtrum v 233. Carrio quos ex Apollonio allegat verſus, ad rem nihil faciunt.

v. 115. Et Extremum Nati Prospexit In Oras) Polyphemus Cyclops, Neptuni filius fuit. Apoll. lib. II. v. 1.

Ἔνθα δ' ἔσαν σταθμοί τε βοῶν αὖλίς τ' Ἀμύκοιο,
Βεβρύκων βασιλῆος ἀγήνορος· ὅν ποτε νύμφη
Τίκτε Ποσειδάωνι γενεθλίῳ εὐνηθεῖσα
Βιθυνὶς Μελίη.

Hinc apud Euripidem Polyphemus Cyclope, cum ab Ulyſſe deceptus & unico privatus oculo eſſet ad littora currit Neptunum parentem inclamans. De quo elegantiſſimum extat Epigr. Joannis Secundi, partim ex Homero, partim Luciano deſumtum, quod ſic incipit:

*Orbatus charo Polyphemus: lumine quondam*
*Dum cuncta in tenebras ſenſit abire nigras.*

Vide ſi placet reliqua, non pœnitebit te operæ.

v. 123 ET NUNC CHAOS IMPLET ORION) Orion venator ſtuprare conatus Dianam, ejus ſagittis eſt confoſſus. Hor. lib. III Carm. Od. IV.

*Teſtis mearum centimanus Gyges*
*Sententiarum notus & integræ*
*Tentator Orion Dianæ*
*Virgineâ domitus ſagittâ.*

v. 126. MAIORAQUE SANGUINE NOSTRO VINCUNT FATA JOVIS) Jovis ſupremum erat imperium. Hinc apud Græcos Jupiter ὁ ὕπατος, cujus ara erat ante fanum Neptuni Erechthei, in quâ animati nihil ſacrificabatur ſed liba tantum abſq; vino Pauſanias. ἔστι δὲ καὶ οἴκημα ἐρέχθειον καλούμενον· πρὸ δὲ τῆς εἰσόδου. Διός ἐστι βωμὸς Ὑπάτου ἔνθα ἔμψυχον θύουσιν οὐδὲν πέμματα δὲ θέντες, οὐδὲν ἔτι οἴνῳ χρήσασθαι νομίζουσιν. Meminit hujus fani Herodotus lib. IIX. ἐστὶ ἐν τῇ ἀκροπόλι ταύτῃ ἐρεχθῆος τοῦ γηγενέος λεγομένου εἶναι, Νηός. Plutarchus in Lycurgi vitâ lib de X. Rhet. ἐν πινάκι τελείῳ, ὃς ἀνάκειται ἐν Ἐρεχθείῳ.

v. 138. PARRHASIO PATRIS DE MORE GALERO) Παῤῥάσιον τὸ Ἀρκαδικὸν inquit Scholiaſtes Apol-

Apollonii lib. II. ἀπὸ μιῆς Ἀρκαδικῆς πόλεως καλυμένης Παῤῥησίας.

v. 158. Melior Vulgi Nam Sæpe Voluntas) Infidum nomen vulgi: Principis periculis plenum eſt. Si quid agit quod contra leges vel bonos mores ſit, ſtatim oculos omnium incurrit, nec acri caret cenſurâ & dicteriis. Nam juxta illud Satyrici:

*Omne animi vitium tantò conſpectius in ſe*
*Crimen habet, quantò major qui peccat habetur.*

Vulgo cumprimis, cui nil rectum, quiq; ſententiis à magiſtratu plerumque diffidet, juxta illud Virgilii lib I. Æn.

*Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.*

Et ut verbis Lipſii utar Cent. I. Ep. XII. *Ita variabile ingenium ſe habet, hoc vult, hoc non vult: hoc hodiè appetit cras ſpernit: & ut amphora facilè circumaguntur auribus: ita illud quovis ſermone huc illuc impellitur, & natat ſemper inter cupidinum novos fluctus, quos non ratio ſed opinio ingerit, cui à naturâ inſitum eſt variare & pœnitere. Cum enim maximè animum quid delectat, exſtinguitur, & poſt primum impetum marcet.* Hinc paſſim bonorum & malorum ſimulacris deluſus miratur ac ſuſpicit inverſos Alcibiadis Silenos: & juxta Senecam: *Optima exiſtimat ea quæ magno adſenſu recepta ſunt, quorumq; exempla multa ſunt, nec ad rationem vivit, ſed ad ſimilitudinem.* De vita beata c. 1. quæ digna ut apud illum legatur. Senec. Trag. Octaviâ Act. V. ſc. 2.

*O funeſtus multis populi*
*Dirusq; favor, qui cum flatu*
*Vela ſecundo ratis implevit*
*Vexitq; procul languidus idem*
*Deſerit alto ſævoq; mari*

*Perdidit ingens plebis amor*
*Nimiusq́; favor genere illuſtres*
*Pietate, fide, linguâ claros*
*Pectore fortes, legibus acres.*

v.159. HOSTIS AN EXTERNIS FATO DELATUS AB ORIS) Hoſtis hîc opponitur civi, ut ſæpiculè apud Plautum. Non enim ſolummodo inimicum ſignificat ſed & quovis nomine peregrinum, Varro lib.IV. de LL. *Multa verba aliud nunc oſtendunt aliud ante ſignificabant. Vt hoſtis: Nam tum eo verbo dicebant peregrinum, quem tum dicebant perduellem.* Cicero l. de Officiis: *Hoſtis apud majores noſtros dicebatur, quem nunc peregrinum dicimus.* Sic Petronius in Apodixi Belli civilis *Hoſtile lignum* pro peregrè advecto uſurpat.

v.181. HINC TRUNCA ROTATIS BRACHIA RAPTA VIRIS) Apud veteres, hoſtes vel ſontes variis modis interficiebantur aut lapidibus, aut gladiis, aut fuſtibus. Ferri enim uſus adhuc erat incognitus, & loco gladiorum utebantur ſudibus præacutis. Etymologicon. Τὸ παλαιὸν ξύλοις ἀνῄρουν τοὺς πολεμίους, ὕστερον δὲ τῷ ξίφει. Hinc Virgilii illud:

---- ---- ---- *ſudibusq́; præuſtis.*

Et Horat.:

*Vnguibus & pugnis deîn fuſtibus atq́; ita porro*
*Pugnabant armis, quæ poſt fabricaverat uſus.*

Virg. V. Æn.

*Ferratasq́; ſudes, & acutos cuſpide contos, Expediunt.*

Eæ ſudes Græcis φάλαγγες dicebantur. Homeri Scholiaſt. Iliad. IV. Τὸ παλαιὸν ξύλοις ἐμάχοντο, φάλαγγας δὲ ξύλα ἐκάλουν οἱ ἀρχαῖοι. Apollon. lib. II. v. 33. de Amyco:

—— —— ὁ δ' ἐρεμνὴν δίπτυχα λώπην
Αὐτῇσιν περόνῃσι, καλαύροπά τε τρηχεῖαν

Κάβ.

κάββαλε, τὴν φορέεσκεν, ὀϊστοφόρος κοτίνοιο.

v. 184. Adverso Sub Vulnere Nulla Jam Facies) lacerata enim erat cœſtibus & ſudibus barbaris. Porro *arma ſacra metu* dicuntur, quæ adhuc recenti fuſorum hominum ſanguine trepidabant. *Sacrum* enim inter alia etiam horrendum ſignificat. Unde *homo ſacerrimus* ein verfluchter Menſch. Virgilius I. Æn.

*Auri ſacra fames quid non mortalia cogis*
*Pectora?*

v. 188. Et Monstri Subiit Absentis Imago) Ponit hîc autor ob cæſuram, brevem ſyllabam potentiâ longæ, quod Baculaureis nonnullis forte vitium ſapit. Sed nemini non vel in Virgilio verſato res ea ſatis obvia: Noſter hoc libro:

*Sed qualis & quanta viris inſultat Enyo*

Eodem.

*Cum procul auditur ſonitus inſanaque ſaxa.*

Idem lib VI.

*Omnibus in ſuperos ſævus honor*

Item lib IIX.

*Ille ſilet tantus ſubijt ubi virginis horror.*

Sic Manilius:

----- *animumque facis ad tanta canenda.*

Martialis etiam cum exactiſſimus aliâs ſit obſervator metricæ legis, eandem legem frangit *lib. IV.* Epigram. 61. *lib. X* epigr. 59. *lib. XI.* epigr. 29. *lib. XIV.* epigr. 153. Item Auſonius ad Syagrium.

*Cujus ego comes & quæſtor & culmen honorum*

Ephemeride:

*Et coruſcantis oculos laceſſunt*
*Fulgura lucis.*

Parentalium XVII.

——— ——— *mente bonus, ingenio ingens*

Ibidem XXIX.

*Æmilia vix nota mihi ſoror accipe queſtus.*

v. 190 DONEC SIDEREO POLLUX INTERRITUS ORE) Primum Pollucem introducit in pugnam paratum, quod etiam Apollonius facit: quamvis noſter primum Echionem nave egreſſum dicat. Apoll. lib. II. v. 19.

——— ——— τοὺς δ᾽ ἄγελος εἰσαΐοντας
Εἷλε χόλος· πρὸ δ᾽ αὖ πολυδεύκεα τύψεν ὁμοκλὴ
Αἶψα δ᾽ ἑῶν ἑτάρων πρόμος ἵστατο, φώνησαντε
Ἴσχεο νεῶ.

Obiter nota πρόμος hîc poni pro πρόμαχος quod Græcis non inuſitatum. Sic Homerus κρῖ pro κρῖμα, δῶ pro δῶμα. Heſiodus βρῖ pro βριθὺ & βριαρόν. Sophocles ῥά pro ῥάδιον. Epicharmus λί pro λίαν. Aratus πηδὰ pro πηδάλια. Apud Romanos etiam in carmine Saliari erat *Po* pro *populo*, *Pa* pro *parte*

v. 202 INSTAR SCOPULI QUI MONTIBUS ALTIS) Similis deſcriptio de Atlante apud Ovid. lib. IV. Metam.

*Quantus erat, mons factus Atlas: nam barba comæque*
*In ſylvas abeunt, juga ſunt humeriq; manusq;*
*Quod caput ante fuit, ſummo eſt in monte cacumen*
*Oſſa lapis fiunt, tum partes altus in omnes.*
*Crevit in mimenſum.*

Ab Apollonio ſic deſcribitur lib. II. v. 38.

Ἀλλ᾽ ὁ μὲν ἢ ὀλοοῖο τυφωέος, ἠὲ καὶ αὐτῆς
Γαίης εἶναι ἔικτο πέλωρ τέλωρ τέκος, οἷα πάροιθεν
χωομένη Διὶ τίκτεν.

Græci Colloſſos appellabant, qua uſus proverbii more, in

ve in Amici proceritate, legitur Theocritus Simonides artificem Lachetem nuncupans & altitudinem LXXX cubitorum narrans dicit:

Τὸν ἐν ῥόδῳ Κολοσσὸν ὀκτάκις δέκα

Λάχης ἐποίη πηχέων ὁ Λίνδιος.

Utitur eadem Lucianus Hermot. Κἂν πλησίος θέλῃ τις φρονέειν κἂν κολοσσιαῖος τὸ μέγεθος. Corippus lib. III.

*Enſe latus cincti, præſtricti crura cothurnis.*
*Aſtabant celſi pariter pariterq; nitebant*
*Exſtantes latis humeris, durisque lacertis,*
*Coniferæ veluti ſacra inter flumina quercus.*

v. 221. PONTO VOLITET SYMPLEGAS INANI) Symplegades ſaxa notiſſima ſunt in mari. πέτραι σύνδρομοι dicuntur Pindaro Pythion. Od. IV. Theocritus πέτρας εἰς ἓν ξυνιούσας appellavit in Διοσκούροις. Juven. Sat. XV. concurrentia ſaxa Cyaneis. Euripidis Scholiaſtes Medeâ: ἐρωτηθέντες ἐν γεωγραφουμένοις φησὶ τὸν πλοῦν στενὸν εἶναι καὶ σκολιὸν, δι᾽ οὗ φαντάζεσθαι τοὺς πλέοντας τὴν ἀπόκλεισιν τῶν πετρῶν.

v. 239. LAVITUR PATRIOS UBI VICTOR AD AMNES) malè Pariſienſis codex legit Labitur, & alius rurſum: Capitur. Rectiſſimè enim Latini juxta cum Lava, as, are dicunt Lavo, is, ere, Virg. X. Æn.

*Viſceribus ſuperinfundens, lavit improba teter*
*Ora cruor.*

Et lib. III.

*Luminis effoſſi fludum lavit inde cruorem.*

Lavitur autem Victor, quia pulverem palæſtricum corpore abluebat. Atq; hic non poſſum non meminiſſe Cenſoris cujuſdam, pudendi Ariſtarchi, Laurifoliorum meorum, qui cum illa legeret in Soterio Ampliſſ. Roſæcrantzii mei.

*Degit in oris*
*Quas lavit undâ*
*Auriſluâ undâ*
*Decolor Indus.*

*Lavit*, expunxit & *Lavat* ſubſtituit, illud prætoritorum lege longum proclamans, cùm ſenſus & contextus præſens eſſe arguant. Ita correptionem τ Hoc Pronominis exagitavit: quod tamen frequens Magnorum hodie Poëtarum (in quibus ille adfectato faſtidio rudis eſt) creberrimuſq; uſus anceps eſſe obtinuit, Sed ecce quendam mihi amiciſſimum (cujus nomen ipſi invidioſum foret) qui cum idem hoc verbuli à cenſurâ Ariſtarchi ſui vindicaret: inter alia ſubjungit;

-------*Et hoc eſt quod tu quoq; neſcis.*

Pari modo particulam *Verŏ* expunxit ultimâ per me correptâ, cum tamen Statius Papin. Poëta mehercle nemini ſecundus non ſemel ita uſurpet libris Thebaid. Item Valerius Noſter lib. V. v. 321.

Quod petimus, ſin *verŏ* preces & dicta ſuperbus Reſpuerit. Item particulam *ſerŏ*, quam idem Papin. corripit. Adde dictionem *Pumilus*, cujus prima à me producta, authoritate Statii Papinii Sylvis,

*Hîc audax ſubit ordo pumilorum*
*Quos natura brevi ſtatu peracto*
*Nodoſum ſemel in globum ligavit.*

Ita multi Magiſtelli præter unicum Virgilium & Horatium quibus à pueris inſudant, nullum unquam autorem norunt, & ut ruditatem ſuam tegant, nullius autoritatem agnoſcere volunt. Quos ego tamen non rideo, ſed miſeror nuditatem, doleoq; Scholis præfectos. Hoc obiter admonere debui, quia alio loco commodè non potui,

V. 233. VIX DUM ETIAM PRIMÆ SPARGENTEM

TEM SIGNA JUVENTÆ ) Talem etiam Pollucem deſcribit Apollonius lib. II. v 43.

Τοῖος ἔην Διὸς υἱὸς, ἔπι χνοάοντας ἰούλους
Ἀντέλλων ἔτι φαιδρὸς ἐν ὄμμασιν· ἀλλά οἱ ἀλκὴ
καὶ μένος ἠΰτε θηρὸς ἀέξετο.

Cum Apollonio certant hi verſus Statii Papin. Sylvis, de Glauciâ, Melioris vernâ:

*O merito dilecte puer, primordia quærens*
*Diſtrahor: hinc anni ſtantes in limine vitæ*
*Hîc me forma rapit, rapit hîcque modeſtia præcox*
*Et pudor & probitas tenero maturior ævo*
*O ubi purpureo ſuffuſus ſanguine candor*
*Sidereiq́; orbes, radiataq́; numina cœlo*
*Et caſtigatæ collecta modeſtia frontis*
*Ingenuiq́; ſuper crines, mollisq́; decoræ*
*Margo comæ.*

v. 235. SANGUINEOSQUE ROTAT FURIIS ARDENTIBUS ORBES ) oculorum deſcriptio eſt. Eleganter autem Irati habitum depingit. Cui oculi inflammantur. Virgil. lib. XII.

---- ---- --- *totoq́; ardentis ab ore*
*Scintillæ abſiſtunt, oculis micat acribus ignis.*

Sil. Ital. II. Punicorum.

*Ignea ſanguineâ radiabant lumina flammâ.*

Theocritus, Heracliſco.

——— ——— ἀπ' ὀφθαλμῶν δεινὸν πῦρ
ἐρχομένοις λάμπεσκε ———

v. 237. BACCHUM ANTE ACIES PRIMAMQUE DEORUM PALLADA ) Gigantomachiam tangit, Deoſq́; & Deas, qui Jovi in debellandâ illa opitulati

tulari ſint: De hâc vide Ovid. lib. I. Met, fabulâ 6. & Noſtrum lib. VI. v. 169.

*---- quatit ut ſævo cum fulmine Phlægram*
*Jupiter atq; imis Tiphoëa verberat arvis.*

Horatius plenius auxiliorum meminit: lib. III. c. IV.

*Sed quid Typhoeus, & validus Mimas*
*Aut quid minaci Porphyrion ſtatu*
*Quid Rhoecus, evulſiſq; truncis*
*Encetadus, jaculator audax*
*Contra ſonantem Palladis ægida*
*Poſſent ruentes? hinc avidus ſtetit*
*Vulcanus, hinc matrona Iuno &*
*Nunquam humeris poſiturus arcum*
*Qui rore puro Caſtaliæ lauit*
*Crines ſolutos.*

v. 245. HORRENDOSQUE THORIS INFORMIBUS ARTUS) lego *Toris*: Tori ſunt lacerti. Nam quomodo Amycus jam demum thoris ſurgere potuit, cum jam longe ante Poeta dixerit illum ad mare excurriſſe, ut adventum novorum hoſpitum exploraret, quod Apollonius addit? Forſan, Carrio cum ſcribere voluit *Thoris*, reſpexit opinionem vulgi, qui congeriem magnorum lapidum in viis Regiis frequentem, cubilia vel thoros Gigantum vocat: & hi eſſent thori informes. Germanii vocant der Hünen Bette.

v. 247. REDIT ALCIDÆ JAM SERA CUPIDO) Pœnitet Minyas hoc periculo circumvallatos, Herculem à ſe relictum, ut in μεθυκνόισιν fieri ſolet: Horatius rectè lib. III. Od XXIV.

*Virtutem incolumen odimus*
*Sublatam ex oculis quærimus invidi.*

v. 250. HÆC CRUDIS DURATA VOLUMINA TAU-

Tauris) Intelligit cœſtus, qui è pelle bubulâ, plumbo ferroq; inſuti erant, adjunctis loris, quibus manui aptari poterant. Apollon. lib. I. v. 51.

Τοῖσι δὲ μεσσηγὺς θεράπων Ἀμύκοιο Λυκωρεὺς
Θῆκε πάροιθε ποδῶν δοιοὺς ἑκάτερθεν ἱμάντας
Ὠμοὺς ἀζαλέους· περὶ δ' οἵγ' ἔσαν ἐσκληῶτες.

Statius Papinius:

---- ---- ---- *nigrantia plumbo*

Virgilius Æneid. Quinto:

*Tegmina cruda boum.*
*---- ---- ---- ſic deinde locutus*
*In medium geminos immani pondere cæſtus*
*Projecit, quibus acer Eryx in prælia ſuetus*
*Ferre manum, duroq́ intendere brachia tergo.*
*Obſtupuere animi tantorum ingentia ſeptem*
*Terga boum plumbo inſuto ferroq́ rigebant.*

Amycum autem hunc, lora cæſtuum primo adinveniſſe, teſtis eſt Clem. Alexandrinus Strom. I. Ἀμυκός τε ὁ Βεβρύκων βασιλεὺς ἱμάντας πυκτικοὺς πρῶτος εὗρε.

v. 253. Armis Innectere Palmas Dat Famulis) Palmæ ipſæ involvebantur cæſtu, loris ad eam rem aptis, quorum Virg. lib V. meminit:

*Huc illuc vinclorum immenſa volumina verſat*

De palmis paulo ſupra habet:

*Nunc ſi cui virtus animusq́ in pectore præſens*
*Adſit, & evinctis attollat brachia palmis.*

Ibidem:

---- -- - *manibusq́ inducere cæſtus.*

Confer totum locum Virgilii de Pugnâ Cæſtus, unde multa Flacci intelliges, & Virgilium credo ob oculos habuit cum hæc ſcriberet.

v. 267. SEMPER ET IN DIGITIS) lego: *Semper & in digitos* Quænam enim Syntaxis? *Semper & in digitis redit*? Niſi DIGITIS IVISSE Amycum dicere volueris. Virgil. citato lib. V.

> *Tum ſatus Anchiſâ cæſtus pater extulit æquos*
> *Et paribus palmas amborum innexuit armis*
> *Conſtitit in digitos extemplo arrectus uterq;*

Sic Apollon. lib. II v. 88.

> Ἄψ' αὖτις συνόρουσαν ἐναντίοι, ἠΰτε ταύρω
> Φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον
> Ενθα δ' ἔπειτ' Ἄμυκος μὲν ἐπ' ἀκροτάτοισιν ἀερθεὶς

Interpres vertit:

> *Arduus in digitos Amycus Neptunius altos*
> *Conſiſtit.*

Senſum ergo Valerii hinc cape, quem merito mihi debes, quanquam hæc obiter, nec ex inſtituto. Vocum enim emendationes aliis relinquo & quantum poteſt Manuſcriptum Carrionis ſequor: quia nullus unquam vetus codex hodiè datur.

v. 273. UT DEINDE URGENTES PAULATIM NUBIBUS IRAS) Carrio quos hîc allegat verſus ex Apollonio, οὐδὲν πρὸς ἄλφιτα. Agunt enim de quiete amborum, de qua Valer. demum v. 279. *Reſpirant ambo paulumq; reponunt Brachia*, ibi Apollonius convenit lib. II v. 84.

> ——— οἱ δ' ἔληξαν ἐπισταδὸν οὐτάζοντες
> Ἔστ' ἀμφω ἀλεγεινὸν ἄσθμα κατ' ἀμφοτέρους ἐδάμασσε.
> Στάντε δὲ βαιὸν ἄπωθεν ἀπωμόρξαντο μετώπων
> Ἱδρῶ, ἅλις καματηρὸν ἀϋτμένα φυσιόωντε.

Reliqui verſus quos Carrio citat pertinent ad Valerii noſtri v. 282.

v. 306. CREEROS ET LIBER CONGERIT ICTUS DESUPER AVERSO) ſenſus hic eſt: Pollux Amycum jam

jam ratione captum cæſtibus urget, & deſuper crebros frequentat ictus, liber jam cæſtu Amyci averſo, vel quod malim *adverſo*. In quam ſententiam etiam inclinare video amiciſſimum meum Gabr. Schleiſſentagium, juvenem has literas eleganter doctum. Confidentiam hujus lectionis facit lib. I. v. 390. ubi itidem *Adverſos*,

*---- ---- & fluctibus obvius Aulon.*
*Cæſtibus adverſos viderunt frangere vultus.*

v.307. SONAT OMNI VULNERE VERTEX INCLINIS.) *Inclinis* caveas accipere pro *inclinante*, quaſi verticem tunc inclinaverit Amycus. Inclinis potius hîc denotat, qui inclinari nequit: quod Græcè ἀκλινεὶς effertur. Neque enim potuit Amycus inclinari antequam vulnus in cervice acciperet. Quod vocabulum Manilio reſtitutum à demirando Scaligero 1. Aſtron.

*His eadem eſt via, quæ mundo pariterq; rotantur*
*Inclines, ſocioſq; ortus occaſibus æquant.*

Ubi eadem eſt ſignificatio

v.310. VINCULA QUA PRIMO CERVIX COMMITTITUR ARTU) Medici & Experientia teſtantur in cervice, mortis & vitæ hærere proclivitatem. Noſtri vocant das Genicke.

v.323. IPSE ETIAM EXPLERI VICTOR NEQUIT) Vocat Pollucem Victorem, quod non moris erat apud Græcos qui nullum appellabant Victorem, niſi Victus in certamine victum ſe fateretur & victorem ſuum agnoſceret Ennius in Fragmentis Joan. Voſſii.

*Qui vicit victor non eſt niſi victu fatetur.*

Itaq; mos erat Victori manum porrigere in Victoriæ ſignum Ariſtænetus lib. I. ἐρῶτος δὲ φανέντος χεῖρα εἶψα-

εἴψαπις, αὐθὸς ὁ τέως θρασὺς, καὶ τὴν δεξιὰν ἀκονιτὶ πρὸ- σηκνατείας ὡμολογεῖ τὴν ἧτταν. Et lib II. ὁ δὲ χρηματισάμενος μαγγανείαν παρ᾽ ἕκαστον, ἑαυτὸν ἀπεθαύμαζεν παραδόξου νίκης ἀνατείνων τὴν χεῖρα. Hinc Arnob, lib. dixit: *Sed concedamus, interdum manum opinationibus veſtris dantes unum Chriſtum fuiſſe de nobis &c. &c.* Non tamen Virgilius, aliâs antiquitatum ſtudioſiſſimus idipſum obſervavit in pugnâ Entelli & Daretis lib V.

*Sternitur exanimisq́, tremens procumbit humi bos*
*Ille ſuper tales effudit pectore voces:*
*Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis*
*Perſolvo, hic victor. cæſtus artemq́, repono.*

v. 334. ET VIRIDI CONNECTIT TEMPORA LAURO) Coronat Caſtor fratris *caput, arma, tempora,* Ter enim veteres utebantur coronis. In *fronte, capite & collo.* Scholiaſt. lib. II. ἔχρωντο δὲ στέψει τριχῶς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπὶ τοῦ μετώπου, ἐπὶ τοῦ τραχήλου τιθέμενοι τοὺς στεφάνους διὰ τὸ θυμῶδες τῆς τριμεροῦς ψυχῆς. Ubi rationem aſſignat, propter triplicem nempe animæ facultatem. Hodiè ſolis Cæſarum & Poetarum capitibus eadem ſacra adq́; diſcrimen dicta, *Cypria & Delphica*, Catoni lib. de Re Ruſt. c. IIX. *Delphicâ* coronabantur Delphis ſacrorum carminum victores, & triumphantes Romæ (hodie etiam cuivis verſificatori mercabilis.) *Cypria* ſubcriſpa eſt foliaq́; habet brevia & nigra: Ea ante domos Cæſarum, curias, domosPontificum & Flaminum ponebatur, & Martiis Calendis renovabatur. Confer Plinium lib XV. cap. XXX. *Veteres ex lauro futura obſervabant, & in ignem conjectam ſi cum ſtrepitu conflagraſſet, auſpicatum erat ſignum; ſine ſtrepitu ſiniſtrum omen erat.* Tibullus lib. II. Eleg. V.

*Laurus ubi bona ſigna dedit gaudete coloni.*

Quia

Quin & Poetæ laurum edebant. Tib. cit. loco.

---- ---- *ſic uſq; ſacras innoxia lauros*
*Veſcar.* ---- -- - ---- ----

Quod autem Pollucis caput coronant cœnæ ſe accingentes, non omnino caret obſervatione. Solebant enim veteres, ubi indulgere Genio decreverant, coronis redimiri, adhibitis item unguentis Plutarch. Symp. lib. III Qu. 1. ἐνίων δὲ ἀνθῶν ὀσμαῖς ἄνω σκιδναμένοις περὶ τὸν ἐγκέφαλον, οἷτε πόρρω τῶν αἰσθητηρίων ἐκκαθαίρονται καὶ λεπτύνονται τὰ ὑγρὰ πράως ἄνευ πληγῆς καὶ σάλου τῇ θερμότητι διακρινόμενα, καὶ φύσει ψυχρὸς ὢν ὁ ἐγκέφαλος ἀναθάλπεται· διὸ μάλιστα τοὺς ἀνθινοὺς ἐκ τῶν τραχήλων καθάπτοντες ὑποθυμίδας ἐκάλουν. Juven. Sat. IX.

*Dum bibimus, dum ſerta, unguenta, puellas*
*Poſcimus, obrepit non intellecta ſenectus.*

v. 336. Hinc Validâ Cædunt Armenta Bipenni) Hoc pugnam inſequitur, quod & Apollonius habet lib. II. v. 143.

Ἤδη δ' ἄπειρα μῆλα περιτροπάδην ἐτάμοντο
Ἥρωες.

Apollonius poſt devictum Bebrycum Regem, Amycum; interſerit pugnam vulgi vel ſubditorum ejus regni à v. 68. ad 14?. excluſivè. Noſter ſubditorum perfidiam poſt fata Regis narrat v. 315.

*Bebrycas extēplo ſpargit fuga: nullus adempti*
*Regis amor: montē celeres ſylvamq; capeſſunt.*

v. 342. Nunc Vatis Honoro Carmine) Orphea intelligit. de quo paulo ſupra v. 85.

*Thracius at ſummâ ſocijs è puppe ſacerdos*
*Fata Deûm, & miſera ſolans incommoda vitæ*
*Securum numeris agit & medicabile carmen.*

Apollon. lib. II. v. 161.

Ὀρφείῃ φόρμιγγι συνοίμιον ὕμνον ἄειδον

Ἐμμελέως· περὶ δὲ σφιν ἰαίνετο νήσοιο ἀκτὴ
Μελαμποδίοις κλῶν δὲ θεραπνεῖον διὸς ἦα.

v. 346. ILLOS NILE TUOS NONDUM DEA GENTIBUS IO) Io Inachi filia cum æquales ſuas ſpecie ſuperaret, à Jove adamata, & Junone poſtea indignante in vaccam mutata eſt: Ovid. fabulam exponit lib. I. fab. XV. cui hæc Poëtæ gemina eſt.

*---- ---- ---; inq; nitentem (ait)*
*Inachidos vultus mutaverat ille Juvencam.*

Et fab. XVI

*Bos quoq; formoſa eſt, ſpeciem Saturnia vaccæ*
*Quanquam invita probat: nec non & cujus & unde,*
*Quove ſit armento veri quaſi neſcia quærit.*

Inde Poeta inquit *data nomina Ponto*, videlicet Boſphorus. Confer Apollon. Scholiaſten lib. I. ad v. 1114.

v. 374. FLEVIT AMYMONE, ET FLEVIT ET EFFUSIS REBOANS HYPERIA) Mugitum taurinum ſignificat, quem à tranſitu undæ reſervarunt. Unde inter prodigia numeratum eſt (cum Alexander Thebas obſideret, prodigiaq; multa imminentem cladem Thebanis nunciarent) Oncheſti paludem mugiiſſe (eſt enim palus in finibus Thebarum) Diodorus Sic. lib. XIIX. Biblioth. ubi de eiſdem prodigiis ait. χωρὶς δὲ τούτων ἧκόν τινες τοῖς ἄρχουσιν ἀπαγγέλλοντες, τὴν ἐν Ὀγχηστῷ λίμνην μυκήματι παρα πλήσιον φωνὴν ἀφιέναι. Ariſtoteles in problem. Sect. XXVI. ubi rationem reddit, cur talis mugitus in fluminibus vel paludibus frequenter accidat. Ἔστι δὲ inquit τὸ γινόμενον ψόφος ὅμοιος φωνῇ ταύρου ὥστε αἱ βόες οὕτω διατίθενται ἀκούειν ὥσπερ ταύρου μυκωμένου, id eſt. Eſt autem illud (Bomugus) adeo mugitui taurino ſimilis, ut id audientes vaccæ, non ſecus audiat ac ſi taurum mugientem audiant. Notet Lector *Meſſeides* eſſe legendum non

*Meſſenides*. Amymones cujuſdam meminit, uxoris Neptuni, Apoll.lib.I. v.137. Hyperia autem & Meſſeis fluvii Theſſaliæ. Vide Pomp.Melam, & Homerum in Nav. Catal.

v.385. CYLLENIUS ALES ADVENIT) Cum Argus Centoculus Jus cuſtos à Junone conſtitutus eſſet, ut noſter ſupra meminit: Jupiter Mercurium miſit ad eundem interficiendum qui dulcedine fiſtulæ ad ſomnum primò compoſitum, deinde interfecit Ovid. I.Metam. fab.XVII.

*Nec ſuperum Rector mala tanta Phoronidos ultra*
*Ferre poteſt, natumque vocat quem lucida partu*
*Pleïas enixa eſt, letoq; det imperet Argum.*
*Parva mora eſt, alas pedibus virgamq; potẽte*
*Somniferam ſumpſiſſe manu tegimenq; capillis.*

Apollonius hujus rei non meminit, ſed iter Minyarum continuat, poſtquam refectionem illorum ex armentorum menſis expoſuiſſet.

v. 407. DITEM VOLAT ÆTHERE MEMPHIM PRÆCIPERE) Græciſmus eſt ſub intelligiturq;. Ut, præcipiat. Sic.lib.I.v.8 9. Noſter

*Acceſſura polo, victam niſi volvere molem.*

id eſt, niſi ſi volvat. Nam quod alii ibi *Si* pro *Niſi* legunt, fruſtrâ ſunt.

v. 418. ET OVANTI PERSONA SISTRO) Siſtri in Sacris Iſidis uſus erat. Sacerdotes enim Irim imitantes, quærentem maritum aut Horum ex Oſiride ſuſceptum ſiſtra pulſabant mœſti prius, deinde in lætitiam prorumpentes. *Aſpide cincta comas* addit, quia aſpides eidem conſecrabantur. Ovid. lib. II. Amor. El. 13.

*Pigraq; labatur circum donaria ſerpens.*

*Iſis* autem dicebatur *Io* poſtquam ea Divis addita. Cum enim Juno ob Jovis cum Io incœſtum indignaretur, œſtrum illa pellici immiſit, cujus aculeis exagitata in Ægyptum fugit: ubi implorato Jovis auxilio priſtinam formam recuperavit, regiq; Oſiridi nupſit: Ægyptiiſq; omnibus adeò chara fuit, ut poſt mortem Dea habita ſit, quam illi Iſidem appellarunt, ſacraq; ejus Iliaca. *Vide Ovid I. Met & lib. IX. fab.* 11. qui non modò Iſidis ſacra, ſed totam pompam planè deſcribit. Notabis autem quod *Siſtri* hujus etiam in Bello uſus erat, eo quippe Amazones pro Tuba utebantur. *Iſidor. lib. II. Etym. c,* 21. *Propert. lib. III. Eleg.* 10. quos vide & cum his Roſin. Antiq. Rom.

v. 438. Insuper Harpyæ) Hunc & ſequentem verſum cum Carrione lego ad MS. codicis emendationem. Non autem ut Baptiſta Pius emendat,

*Quippe nec extorrem tantum, nec lucis egentē*
*Ira Tonantis agit, Typhonides Harpyiæ, quæ*
*Depopulant, ipſoq; dapes prædantur ab ore.*

Pro *Typhoïdes* tamen cum Pio *Typhonides* legendum, quod Carrio non obſervavit. Fuerunt enim Harpyiæ, filiæ Typhonis, ut ex v. ſubſeq. 514. colligimus.

*Hic feſſæ letiq; metu propioris anhelæ*
*Dum trepidant, humiliq; graves timidoq; volatu*
*Implorans, clamore patrem Typhona nefandū.*

Heſiodus lib. I. Theogoniæ putat ex Thaumante & Electrâ genitas.

Θαῦμας δ' ὠκεάνοιο βαθυῤῥείταο θύγατρα
Ηγάγετ' Ἠλέκτρην, ἡ δ' ὠκεῖαν τέκεν Ἶριν
Ἠυκόμους θ' ἅρπυιας, ἀελλώ τ' ὠκυπέτην τε
Αἵ ῥ' ἀνέμων πνοιῇσι καὶ οἰωνοῖς ἅμ' ἕπονται
Ὠκείῃς πτερύγεσσι, μεταχρόνιαι γὰρ ἴαλλον.

v. 434. Primas Baculo Defertur) Expreſſit illa Apollonii lib. II. v. 194.

Αὐτίκα δ' εἰσαΐων ἐνοπὴν καὶ δοῦπον ὁμίλου,
Τοὺς δ' αὐτοὺς παρελόντας ἐπήϊσεν ὧν οἱ ἰόντων
Θέσφατον ἐκ Διὸς ἦεν, ἑῆς ἀπόνασθαι ἐδωδῆς
Ὀρθωθεὶς δ' εὐνῆθεν, ἀκήριον ἠΰτ' ὄνειρον
Βάκτρῳ σκηπτόμενος ῥικνοῖς ποσὶν ἤιε θύραζε
Τοίχους ἀμφαφόων.

v. 436. Salve ô Mihi Longum Exspectata Manus) Narrat Poeta, Phinea ſpem liberationis poſuiſſe in Mynias; præſertim Zeten & Catain fratres Cleopatræ, quam ipſe olim in matrimonium duxerat. lib. II. v. 238.

Τῶν δὲ Κασιγνήτων, ὅτ' ἐνὶ Θρήκεσσιν ἄνασσον,
Κλειοπάτρην ἕδνοισιν ἐμὸν δόμον ἦγον ἄκοιτιν.

Et paulo poſt:

Δάκρυ δ' ὀμορξαμένω σχεδὸν ἤλυθον· ὧδέ τ' ἔειπε
Ζήτης, ἀχαλόωντος ἑλὼν χερὶ χεῖρα γέροντος.

Orpheus in ſuis Argonauticis ab horum opinione diſcedit dicens: Phinea inſanientem philtris uxoriis dejeciſſe filios duos è ſcopulo, quare à Zete & Calai, ut perpetuum pateretur exſilium, à Strophadis efflatum in Biſtoniam, luce ab eis privatum. Vide Noſtrum v. 465.

v. 450. Harpyiæ Semper Mea Pabula Servant) Feliciter iterum expreſſit Apollonium, lib. II. v. 222.

Πρὸς δ' ἔτι πικρότατον κρέμαται κακὸν ἄλλο κακοῖσιν
Ἅρπυιαι στόματός μοι ἀφαρπάζουσιν ἐδωδὴν
Ἔμποθεν ἀφράστοιο καταΐσσουσαι ὀλέθρου.
Ἴσχω δ' οὔτινα μῆτιν ἐπίρροθον.

Virgil. lib. III. Æneid.

*Hîc ſubitò horrifico lapſu de montibus adſunt*
*Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas*

*Diripiuntq́ dapes, contactuq́ omnia fœdant*
*Immundo.*

v.451. FALLERE QUAS NUNQUAM MISERO LOCUS) Expreſſit iterum Apollonium v.225.

——— ——— ——— ἀλλά κε ῥᾷον
Αυτὸς ἐμὸν λελάθοιμι νόον, δόρποιο μεμηλὼς
Ἢ κείνας.

Et quod poſtea v. 230.

Οὔ κέ τις οὐδὲ μίνυνθα βροτῶν ἄνσχοιτο πελάσσας
Οὐδ' εἴ οἱ ἀδάμαντος ἐληλάμενον κέαρ εἴη.

Virgilius lib. III.

----- *invadunt ſocij & nova prælia tentant,*
*Obſcœnas pelagi ferro fœdare volucres.*
*Sed neq́ vim plumis ullam, nec vulnera tergo*
*Accipiunt: celeriq́ fuga ſub ſidera lapſæ*
*Semeſam prædam, & veſtigia fœda relinquũt.*

v.479. FATA LOQUAX MENTEMQUE JOVIS.) Cauſam exponit Phineus ſuæ miſeriæ, nempe proditionem arcanorum divinorum, quod Apollonius ab initio ponit v. 180.

Εἵνεκα μαντοσύνης, τὴν οἱ πάρος ἐγγυάλιξε
Λητοΐδης. οὐδ' ὅσον ὀπίζετο καὶ Διὸς αὐτοῦ
Χρείων ἀτρεκέως ἱερὸν νόον ἀνθρώποισι.

v.484. CRUDELIS SCOPULIS ME DESTINAT URNA) Urna vas fuit ſeu Situla ut loquitur Aſconius, in quam conjiciebantur ſortes. Virg. VI. Æn.

---- --- *ſtat ductis ſortibus urna.*

Statius Papinius multis locis II. Silv. III.

*Quicquid habet ortum, finem timet, ibimus omnes,*
*Ibimus, immenſis urnam quatit Æacus umbris.*

Horat.

Horat. II. Od. 3.

*Omnes eodem cogimur, omnium*
*Verſatur urna ſerius, ocyus ſors exitura.*

v. 487. INSTITUERE THOROS) Apollonius eadem hæc narrat v. 263. quod tamen ne in hac re nimius ſim non apponam. Conſentiunt etiam ambo, quod à Zete & Calai Harpyiæ tandem abactæ. At Apollonius rem longius perſequitur.

v. 513. VOCAT MAGNI STROPHADAS NUNC INCOLA PONTI) Harpyiæ loco illo expulſæ in inſulas Strophadas pervenêre. Unde Virg. lib. III. Æn.

*Servatum ex undis, Strophadum me littora primum*
*Accipiunt: Strophades Grajo ſtant nomine dictæ*
*Inſulæ Ionio in magno, quas dira Celæno*
*Harpyiæq́; colunt aliæ, Phineia poſtquam*
*Clauſa domus, menſasq; metu liquere priores.*

v. 532. LÆTUS AD OBLITÆ CERERIS SUSPIRAT HONORES) Significat Flaccus Phinea ſenem, inter Harpyiarum longam ſævitiam vini deſvetum, jam ſtatim inebriatum dulci Cereris Bacchique liquore.

v. 542. IPSA MIHI PUPPIM JOVIS OPTIMA PROLES( Herculem intelligit de quo ab initio hujus libri v. 1.

*Atq́; ea non oculis Divûm pater amplius æquis*
*Suſtinuit: natiq́; pios miſeratus amores.*

Hinc lib. I. v. 107.

*Protinus Inachiis ultro Tirynthius ærvo*
*Advolat.*

Fabricata autem Argo in Pagaſis. Scholiaſtes Apollonii ad v. 238. lib. I. Παγασαὶ ἀκρωτήριον Μαγνησίας· ὠνομάσθη

μάθη δὲ ἀπὸ τοῦ ἐκεῖ πεπῆχθαι τὴν Ἀργώ. Ὁ δὲ Ἐκήψιος, ἀπὸ τοῦ πηγαῖς περιρρεῖσθαι τοὺς τόπους.

v. 547. VITTAS LAURUMQUE CAPESSIT) quæ de hoc ritu monui ſuperius vide. Vittis enim vates tegebantur, laurum rotantes. Capella, lib. I. *Dolius quoq; ut ramale laureum geſtitat*, divinatrice eadem conjecturatriciq; virgâ. Eunapius in Chriſanthio. Ἡ δὲ πρὸς τὸ θεῖον οἰκειότης οὕτως ἦν ἀπεξαγμενώτατος καὶ εὔκολος ὥστε ἐξήρκει τὸν στέφανον ἐπιθεῖναι τῇ κεφαλῇ καὶ πρὸς τὸν ἥλιον ἀναβλέποντα χρησμοὺς ἐκφέρειν· καὶ τούτους ἀψευδεῖς καὶ πρὸς τὸ κάλλιστον εἶδος ἐνθέου πνεύματος γεγενημένους. Noſter lib. I.

*Ecce ſacer, totusq; Dei per littora Mopſus*
*Immanis viſu, vittamq; comámq; per armos*
*Surgentem laurusq; notat.*

Claudianus lib II. de raptu Proſerpinæ,

---- ---- *venturi præſcia laurus*

Chryſes apud Homer. Iliad. α.

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος.

v. 570. PROCUL UNDE VOLUCRES) quia ex avium volatu auguria captabant: ideoq; dicit: per altum tenditis, unde procul venti, procul unde volucres, unde auguria capeſſere nequitis: Ideoq; fabor nec ſpe dubios ſolabor inani.

v. 600 QUAS TORQUEAT ANCON) Torqueat, hic Ancon quæcunq; volet: mihi ſatisfit ab Egnatio, qui & Apollonii autoritate & Ovidii ultimo Met. *Ancon* legendum comprobat, cujus verba à Carrione citantur. Probat etiam hanc ſententiam ex ex M.S. codice & æreis ſcripto typis & multis Græcorum Latinorumq; locis parallelis. Eſt autem *Ancon* ut illi placet cubitus (Græci enim ſic uſurpant) & loca quæ in mari ſic excurrunt, ut cubiti vicem repræſentent Ancones dicuntur. Hinc Ancon Dorica civi-

tas

tas illa celebri portu munita ſic dicta putatur, quòd vice cubiti in ſubjectum mare excurrat. Vide cætera apud Carrionem. Scaliger quomodo hæc explicet, cujus notæ in hunc poëtam Genevæ expreſſæ, hoc ipſo die per amici literas narrantur, adſignare non licet. Nondum enim illum uſurpavi oculis. Ego nullus dubito, quin Ancon ſupra dicto modo accipi debeat, cum præcedens vocabulum valde in explicationem conſentiat. Eſt enim *Iris* fluvius, *Iridis modo currens*. Apoll. lib. II.

——— ——— μετὰ τὸν δ' ἀγχίῤῥοος Ἶρις
Μειότερος λευκῇσιν ἑλίσσεται εἰς ἅλα δίναις.

Quidni etiam Ancon ſit fluvius ejuſdem ſignificationis modo?

v. 602. AMAZONIDUM MAGNOQUE EXORTA GRADIVO GENS IBI) Significat Amazones à Marte oriundos eſſe. Servius Æn. XI. *Amazones ſe parente Marte natas eſſe gloriari ſolebant*: Noſter lib. V.

*Savaque Thermodoon medio ſale murmura* (*volvens*
*Gradivo ſacer.*

Et paulo poſt:

*Maſſageten Medûmque trahens: eſt vera propago*
*Sanguinis, eſt illis genitor Deus.*

Cæterum prædictionem hanc de regno Lyci v. 589. Acheronte v. 595. Carambi, v. 599. Thermodoonte v. 601. ex amuſſi Apollonius præit lib. II. v. 351.

Κεῖθεν δ' ὀ μάλα πουλὺ δι' ἐξ ἁλὸς ἀντιπέραιαν
Γῆν Μαριανδυνῶν ἐπικέλσετε νοστήσαντες.
Ἔνθα μὲν εἰς ἀΐδαι καταιβάτις ἐστὶ κέλευθος
Ἀκτή τε προβλὴς ἀχερουσιὰς ὑψόθι τείνει
Διυήεις τ' ἀχέρων αὐτὴν διὰ νειόθι τέμνων
Ἄκρης ἐκ μεγάλης προχοὰς ἵησι φάραγγος.

v. 605. DIVAQUE GORGONEI GESTATRIX)

TRIX) De Gorgone Ovidius lib. V. Metam. fab. II. & lib. IV. fab. XII.

*Verum ubi virtutem turbæ ſuccumbere vidit*
*Auxilium Perſeus, quoniam ſic cogitis ipſi*
*Dixit ab hoſte petam: vultus avertite veſtros*
*Si quis amicus adeſt: & Gorgonis extulit ora.*

Intelligit autem per Divam *Minervam*. Illius enim Ægidi adſculpebatur Gorgonis caput. Eſt enim Draconis acutiſſimus viſus, quod potiſſimum ex eo apparet, quod ab intuendo illi nomen inditum ſit, ut Joan. Pierius copioſè explicat Hierogl. in Serpentis commentario.

v. 611. GENS CHALYBUM DURIS PATIENS) Ita etiam in Apollonio Phineus pergit lib. II. v. 374.

——— ——— μετὰ δὲ σμυγερώτατοι ἀνδρῶν
Τρηχεῖαν Χάλυβες, καὶ ἀτειρέα γαῖαν ἔχουσιν,
Ἐργατῖναι. τοὶ δ' ἀμφὶ σιδήρεα ἔργα μέλονται.

v. 622. SÆPE ACRI POTIOR SAPIENTIA DEXTRÂ) In Principe non minus laudabilis & neceſſaria Prudentia quam Potentia. Sæpè enim acri conſilio fit quod vi non poteſt. Salomon bene Prov. 10. *Sapientia auro melior & Prudentia pretioſior auro.* Diciturque apud Latinos à *Providendo* Cic. 1. de Leg. Hinc Poetæ Prudentiam Minervam illam eſſe fabulantur, quæ de Jovis vertice nata ſit, idq; *ſive Deam ipſam ſive habitum*, conſideres. Dum enim è cerebro Jovis ortam fabulantur, procul dubio digitum illuc intendere voluerunt, Principes in bello (Eſt enim Dea belli Minerva) magis Prudentiâ quàm armis omnia tentari debere. Pingitur etiam cum oblongo ſcuto, interdum etiam orbiculari, cujuſmodi eſt Argolicus Clypeus; quem Virg. cum Phœbeâ confert lampade. lib. II. Æn. Unde ſignificare voluerunt regendum eſſe hunc ſublunarem orbem, qui ſub clypei

ſpecie

ſpecie adumbratur, Prudentiâ. Tegebatur enim clypeo totũ corpus adverſus hoſtiles impetus. Unde Antiſthenes Philoſophus olim dicebat: ἀναφαίρετον ὅπλον εἶναι τὴν ἀρετήν. Virtutem munimentum eſſe, quod auferri minimè poſſet. Nam enſis clypeuſq; excuti amittiq; poſſunt, Sapientiæ arma firma & ſtabilia ſunt. In pectore autem ita habere ſedẽ Sapientiam, ut pro Sapientia pectus ipſum interdũ ponatur. Horat. teſtis eſt Ep. IV. lib. I.

*Non tu corpus eras ſine pectore* ———

Quare etiam Martianus Capella qualiſcunq; tandem Autor eſt, ita de Pallade.

*Hinc tibi dat clypeum ſapientia, quod regat orbem.*

Et Pſalmographus nos coronatos ait ſcuto pro tuto circumſeptos munimine. Geſtabat etiam Pallas in clypeo Draconis vel Gorgonis caput, quia Serpentum viſus fertur acutiſſimus. Unde Salvator noſter nos eſſe vult *Prudentes ut Serpentes & ſimplices ut columbas*. Ideoq; etiam Meduſæ caput Serpentinum adſignatum: utpote quæ regnum à patre derelictum in magnam auxerit opulentiam ut Theogneti Antiquitates habent: Crines enim Serpentini erant, qua & Domitianus uti ſolebat. Geſtabat enim Meduſæ vel Gorgonis ſignum ad ſtuporem, quẽ adfectabat de ſe in vulgus cõcitari. Martian.

*Quod pavidum ſtupitet ſapiens ſolertia vulgus.*

Ovidius etiam Pallada Gorgonem ob terrorem incutiendum geſtaſſe ſcribit lib. IV. Met.

*Nunc quoq; ut attonitos formidine terreat hoſtes*
*Pectore in adverſo, quos fecit, ſuſtinet Angues.*

Idq; cernere eſt in ſcuto Herculis apud Heſiodum (ſi opus illud eſt Heſiodi, nec potius ab Ariſtoph. Grammatico ſubjunctum, ut quidam volunt.)

ἐν γὰρ σφιν μένος ἧκε θεὰ γλαυκῶπις Ἀθήνη
αἰγίδ' ἀνασείσασα.

Statius Papinius :

--- ---- *ſectæ prætendens colla Meduſæ*
*Ceu ſtimulis accendit Equum* ---- ---

Porrò etiam haſtam Pallas in manu habebat, quæ & ipſa ingenii vim & promptitudinem oſtendit. Unde Martianus :

*Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat*
*acumen.*

Hanc ergo ſequantur Principes in bellum ituri, & non Commiſſariorum myriade, ſed conſiliis utantur memores illius Hom.

——— ——— εἷς κοίρανος ἔστω.

Nam præcipiti ingenio quot & quantas ſibi & Reip. calamitates attraxerint Imperatores, clades illæ inſignes ad Trebiam, ad Thraſimenum, adq; Cannas olim acceptæ, ut alias diſſimulem, facilè oſtenderunt.

v. 623. JAMQUE ULTIMA NOBIS PROMERE FATA NEFAS) oracula priſcorum vel non plena vel ambigua erant. Hinc Martianus capella dicit obliquas vaticiniorum ambages lib. I. de Mercurio loquens : *Ipſe pedibus talaria nectit aurea, & nunc in fanis quibus aut vaticinia obliquis fundebantur ambagibus aut denunciata pecudum cæde fiſſiculatis extorum proſiciis viſcera loquebantur.* Clemens Alex. lib. V. οἱ χρησμοὶ λέγονται δι' αἰνιγμάτων.

v. 670. PRIMA CORUSCANTI SIGNUM DEDIT ÆGIDE VIRGO) Pallas navis Argo Præſes, tutelam ejus geſſit, ſuoq; regimine in maris furore ad optatum portum direxit, ſit ſupra ſæpius Autor ſignificavit. Confer paulo infra v. 682.

v. 698. LONGINQUIQUE EXIRENT FLUMINA RHEBI) lego *Rhebæ*. Nam quod Carrio etiam *Rhe-*
*bum*

*bum* neutro genere Apollonio tribuit: fallitur. Non enim memini illîc me invenire. Eſt ergo *Rhebas* juxta Plin. Hiſt. Nat. lib. VI. cap. I. amnis à Boſphori faucibus excurrens, quem aliqui *Rhæſum* dixerunt. Scholiaſtes Ap. ad v. 349. lib. II. μετὰ τὴν Φινέως νῆσον ἐπὶ τὰ δεξιὰ μέρη ἐστὶ Βιθυνία παρὰ τὸν Βόσπορον, ταχέως γὰρ ἐκπλεύσαντι τὸ στόμα τοῦ Πόντου ἡ ἑτέρα πλευρὰ τῆς Βιθυνίας. ἡ γὰρ Βιθυνία ὡς προείρηται περὶ τὸν Βόσπορον ἐστὶν ἐν δεξιᾷ, ἐν ἀριστερᾷ δὲ Σαλμυδησσὸς Θρᾳκῶν ἀγρίων. Ῥήβας δὲ ποταμὸς Βιθυνίας· ὠνομάσθη δὲ Σαλμυδησσὸς ἀπὸ τοῦ συρρέοντος εἰς αὐτὸν ποταμοῦ.

v. 706. Dent Vellera Colchi) Senſus hic eſt: Ut ut tantum ſero veniamus ad Phaſidis oras, & Colchi ultro aureum vellus obferant, noſtrâ ſine pugnâ, ecquis iterum hæc ſaxa penetrare poterit? Neſcius autem erat (inquit, porrò) eſſe illa ſtabili imperio Jovis fixa & revincta.

v. 712. Ad Subitam Stupuere Ratem) De ſtupore freti ad adventum Navis Argo, itidem Avienus.

*Huic mirante ſalo quondam ſeſe intulit Argo,*
*Theſſala & innantem ſtupuerunt æquora cymbam.*

Et Claudianus:

---- ---- ---- *ſtupuere ſuperbâ*
*Arte viri domitæ Symplegades.*

v. 715. Quamvis Tyrrhenus Et Ægon) Ægon eſt mare Ægæum ut Noſter I. Argon. v. 629.

----- *& quando fremitu ſe ſuſtulit Aegon*

Papinius V. Thebaid.

*Pieria innumeris quas ſpumifer adſilit Aegon.*

Eſt autem Heſychio Ægæone vel Ægon pelagus circa Cycladas. Dicis enim Αἰγαίων ἐπιπεπτωμένως ἁλλ᾽ὁ θεὸς

θεὸς καὶ τὸ περὶ τὰς Κυκλάδας πέλαγος. Papinius V. Thebaid.

*Diis pelagi ventisq; & Cycladas Aegoni*
*Amplexo.*

Utq; hoc addam quod Heſychius Ægæona dicat Deum marinum, addatq; ita appellari Briareum & Neptunum, ex eo intelligimus, cur Ovid. II. Metam. *Ægeonem* in Diis marinis ponat. Sic enim ait:

*---- ---- balenarumq; prementem*
*Ægæona ſuis immania membra lacertis.*

Dicitur autem Ægæum ab Ægæo Theſei patre, ut Plutarcho in Theſeo & Hygino fab. XLIII. placet. Feſtus: *Ægæum mare appellatur, quod crebræ in eo ſint inſulæ, ut procul aſpicientibus ſpecies caprarum videantur, ſive quod in eo Ægæa Amazonum regina perierit, ſive quod in eo Ægeus Theſei pater præcipitaverit.* Artemidorus: Ἄκρα τίς ἐστι Αἰολίδος ἣν αἶγα οἱ ἐπιχώριοι ὀνομάζουσιν· ἀφ᾽ ἧς καὶ τὸ πέλαγος τὴν τοιαύτην ὀνομασίαν περιείληφεν. Alii à fluctuum quos αἶγας vocant, Græci magnitudine. Solinus ab Antandro Capræ ſpeciem referente cap. XVII. Vide Strabonem, & Conſtantinum περὶ θεμάτων.

v. 719. FLAVUSQUE LYCES, HYPANISQUE MELASQUE) Sic lego rectius quam *Nomas* cum Carrione. Nullus enim fluvius eſt eo nomine. Et Nomades populi ſunt, ut Plinius & alii teſtantur. Melas autem in Pontum mittitur, cujus Apollonius meminit lib. I. v. 922.

Κεῖθεν δ᾽ εἰρεσίῃ μέλανος διὰ βένθεα πόντου
Ἱέμενοι τῇ μὲν Θρηκῶν χθόνα, τῇ δὲ περαίην
Ἴμβρον ἔχον καθύπερθε.

Scholiaſtes ibidem: Μέλας πόντος οὕτω λεγόμενος ὡς ἱστορεῖ Εὔδοξος ἐν δ᾽ τῆς περιόδου. ὄπισθεν δ᾽ αὐτοῦ εἶναι τὴν Σαρπηδονίαν πέτραν φασίν. ὅτι δὲ οὕτω λέγεται καὶ Ὅμηρος.

—— —— ἔνθορε Μείλανι πόντῳ

ὅτο;

ὠνομάσθη δὲ ἀπὸ Μέλανος τοῦ φεύξου ἐμπεσόντος. ἢ ἀπὸ ποταμοῦ Μέλανος καλουμένου, κἀκεῖ ῥέοντος. Vide Strabonem lib. XI. ubi de hoc fluvio multa.

v. 726. SCYTHICUM SPECIE SINUATUS IN ARCUM) Manilius ferè ad eundem modum lib. IV.

*Taurus habet Scythiæ montes Aſiamq́ potentē*
*Et molles Arabes ſylvarum ditia regna*
*Euxinus Schithicos Pontus ſinuatus in arcus*
*Sub geminis te Phœbe colit.*

Porro de duobus promontoriis Euxini maris ſic Strabo: εἰκάζουσι δὲ τινες τὸ σχῆμα τῆς περιμέτρου ἐντεταμένῳ Σκυθικῷ τόξῳ, τὴν μὲν νευρὰν ἐξομοιοῦντες τοῖς δεξιοῖς καλουμένοις μέρεσι τοῦ Πόντου. Dionyſius Afer, de illis:

> Αἳ τ' ἄμφω ξυνίασιν ἐναντίαι οὐ μὲν ἐς ὦσιν
> ἤλυθεν, ἀλλ' ὅσον ὁλκὰς ἐπὶ τρίτον ἦμαρ ἀνύσσῃ.

Nota ἐπὶ τρίτον ἦμαρ. Non dicit ſpacium trium dierum eſſe, ſed duorum cum dimidia parte tertii. Tantum igitur inter ſe diſtant duo hæc promontoria, quantum navis conficere poteſt ἐπὶ τρίτον ἦμαρ intra triduum, non tribus diebus. Nam Strabo duo hæc promontoria inter ſe diſtare dicit ſpacio 2500 ſtadiorum. Navis autem trium dierum ſpacio 3000. circiter ſtadia conficere poteſt: paſſus 75000 (ſiquidem ſtadium eſt paſſus 125.) Ptolæmeus enim 1000 ſtadia unius diei navigationem eſſe dicit: & in eâdem ſententiâ eſt Strabo. Nam lib 10. dicit â Cyrenea regione ad Κριοῦ μέτωπον δυοῖν ἡμερῶν καὶ νυκτῶν εἶναι πλοῦν, ibidemq; ponit Eratoſthenem hoc intervallum 2000 ſtadiorum ſpacio metiri. Eratoſthenes autem ἀπὸ τῆς μὲν Κυρηναίας μέχρι Κριοῦ μετώπου δισχιλίους φασίν. Ergo ἐπὶ τρίτον ἦμαρ hic rectè intra triduum expones.

v. 733. IAM MARIANDYNIS ADVERTIT PUPPIS HARENIS) Apollonius lib II, v. 724.

Ἔνθεν δ' ἀντιπέρην ποταμοῦ στόμα Σαγγαρίοιο
Καὶ Μαριανδυνῶν ἀνδρῶν ἐριθηλέα γαίας,
Ἠδὲ λύκαια ῥέεθρα καὶ ἀνθεμοεισίδα λίμνην
Δερκόμενοι παραμείβον.

Sunt autem Mariandyni populi contermini Paphlagoniæ, dicti ita â Mariandyrio filio Jdææ & Phinei, Phineo enim ex diverſis conjugibus diverſi liberi extiterunt. Ex Cleopatra Pathenius & Crambis, ex Idæa filia Dardani aut Scythica quadam pellice Thyrus & Mariandynus. Alii tamen tradunt dictos â Maryandyno Cimmerii. Vide Schol. ſuperius & hoc loco. Regio illorum ut dictum prope Paphlagoniam eſt. Strabo lib. XII. *In Pontum Euxinum à Propontide navigantibus à læva adjacent ea, quæ Byzantio ſunt contigua, & à Thratibus habitata & ponti læva appellantur. A dextris ſunt Chalcedoni, proxima Bithynorum ſunt, ſequentia Mariandynorum; quidam ea Cauconum dicunt, reliqua Paphlagonum uſq; ad Halym flumen.* Plin. Sec. lib. VI. Nat. Hiſt. c. I. *Idem Sangarius à pleriſq; dictus Coralius, à quo incipiunt Mariandyni ſinus, oppidumq; Heraclea Lyco flumini appoſitum.*

v. 760. FESTA DEHINC MEDIIS INEUNT CONVIVIA LECTIS) Hoſpites hoſpitibus primum adventientibus cœnam apponere, veteribus in more poſitum erat. Noſter ſupra lib. II. v. 188.

*--- ---- ſimulantq; choros delubraq; feſtâ*
*Fronde tegunt, lætæq; viris venientibus adſunt*
*Jamq; domos menſasq; petunt, diſcubitur altis*
*Porticibus.*

Vide quæ prolixius ad illum locum notavimus.

FINIS LIB. IV.

Θεῷ δόξα.

IN